



354

quia domini ductores nostri vellent nos eodem sero in Bethlehem ducere. Cumque omnes in plateam Syon venissemus, invenimus ibi asinarios nostros stantes cum asinis; currit autem unusquisque quaerens et clamans pro suo asinario, ut dictum est supra fol. 84. B. Et receptis asinis stetimus et ductores nostros diutius exspectavimus, tandem autem sole in occasum vergente venerunt tristes, dicentes, quod de Sodomis et solitudinibus Jordanis adscendissent in Bethlehem Madianitae, Arabes et Beduini, nosque ibi exspectarent, ut armata manu nobis occurrant ad spoliandum; idcirco hac vice manere in Jerusalem necesse foret, quousque populus ille rapax a Bethlehem discedat. Et ita reductae sunt bestiae in suum locum, nos vero visitavimus et circuivimus loca sancta montis Syon, et juxta locum divisionis apostolorum diutius oravimus, cujus instabat solennitas. De hoc loco vide fol. 104. A.

Cum sol autem occidisset, descenderunt peregrini ad hospitale suum pro quiete, multi tamen manserunt nobiscum in monte Syon celebrantes nobiscum vigilias in locis sanctis. Media enim nocte surreximus cum fratribus ad matutinales laudes, quibus finitis incepimus celebrare Missas privatas, unusquisque in loco sibi placito usque ad crepusculum. Die autem XV. illucescente, antequam oriretur sol, descendimus, nos qui eramus in monte Syon, in hospitale, et dominos peregrinos fratres nostros excitavimus ad peregrinandum, quibus paratis de hospitali exivimus, et aliqui fratres montis Syon nobiscum, et Calinus Elphahallo Sarracenus cum baculo salvum conductum (B) praestans et pueros arcens, ne nos lapidibus impeterent. Venimus autem primo in atrium templi sancti sepulchri, et ibi in loco, ubi Christus sub cruce cecidit, ut superius dictum est, procumbentes, indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

De porta, extra quam fuit Dominus Jesus ductus crucifigendus.

Exeuntes autem consequenter de templi atrio in vicum, qui ducit de monte Syon in montem Calvariae, et de illo ducit per descensum in civitatem per ejus longitudinem, quae est ab austro in aquilonem, et latitudo ab occidente in

369

367

373

363

378

358

418

318

468

268

Ende

Anfang